quid de deo ſentit in bonitate: iam illum qui est principium omnium fidei oculo cer-
nit. Sed et omnis veracem esse: si in simplicitate querit. Videsne quemad-
modum non quilibet sed summa sapientia simpliciter quesita facit esse rachel. Iam
ut arbitror non miraris quod rachel tantum diligitur cum eius in pedisseca
sapientiam mundi loquor. que in divine sue comparatione stultitia repu-
tatur tanto ut cum nimio amore mundi philosophis requiratur. Quem-
admodum autem lia supponitur dum rachel speratur. facile cognoscunt.
qui hoc quod in se sepe contigit. non tam audiendo quam experiendo didicerunt.

Sepe contingit ut animus antique consuetudinis sordibus
minus mundatus et ad celestem contemplationem non dum idoneus. dum
se in cubiculo rachel collocat. dum se in eius amplexus totum parat.
dum illam iam iam ſeſe tenere putat. ſubito et inopinate inter am-
plexus lie ſe eſſe deprehendat. Quid per ſcripturam sacram non rachel cu-
biculum dicimus. in qua sapientiam divinam sub decenti allegoriarum
velamine latitare non dubitamus. In tali cubiculo rachel to-
ciens queritur. quotiens in lectione sacra spiritalis intelligentia in-
dagatur. Sed quamdiu adhuc ad sublimia penetranda minime
sufficimus dum percepta diligenter quesitam rachel nondum inve-
nimus. Incipimus ergo gemere. suspirare. cecitatem nostram non
solum plangere. sed et erubescere. Dolentibus ergo nobis et querentibus unde
hanc cecitatem meruimus: occurrunt mala que fecimus. Quin immo
ipsa divina lectio nobis nolentibus: et aliud quiddam in ea moli-
entibus; feditatem nostram frequenter ingerit: et corda nostra in
eius consideratione compungit. Quotiens ergo in divina lectione pro con-
templatione compunctionem reperimus. in cubiculo rachel non ip-
sam. sed liam nos invenisse non dubitemus. Nam sicut rachelis est. medita-
ri. contemplari. discernere. intelligere: sic profecto pertinet ad
liam flere. dolere. gemere. suspirare. Nam lia ut dictum est:
affectio est divina aspiratione inflammata. et rachel est ratio